

295.

1692, 4

21

I. N. D. N. J. C.

C R U X
JURISCONSULTORUM

ex l. 69. ff. pro soc.

Societas

SUB PRÆSIDIO

Viri Nobilissimi

A. A. PAGENSTECHERI,

FC. & Antecessoris Ordin.

Disputatione publica in Auditorio Majori a. d. 12.
Januar. 1692. horis solitis removenda per

FRID. ERNEST. GEORG. MONTANUM:
VVattenscheda-Marcen. Auth. & Resp.



DUISBURGI ad RHENUM,
Apud FRANCONEM SAS, Academ. Typogr.
Anno M. DC. XCII.



Generosissimo atque Excellentissimo
D O M I N O,

DN. CONRADO Baroni de STRÜNCKEDE,
Thouloufe & Drabone: Domino in Dorneburg,
Mehrumb, Buddingen, Eickel, &c. Augusti Ele-
ctoris Brandenburgici Camerario, & Satrapæ in
Bochumb & Castrup &c. Domino meo gratioso.

Viro item Magnifico atque Amplissimo,

DN. JACOBO de JANSSEN, Serenissimo Ele-
ctori Palatino à Consiliis Status & Regiminis &c.
Mæcenati meo magno.

N E C N O N

Viro Nobilissimo & Consultissimo

DN. JOH. ADRIANO SCHLECHTENTHAL,
JCo Civitatisque Duisburgensis Consuli bene me-
ritissimo &c. Patrono meo suspiciendo.

T U M E T

Viro Nobilissimo atque Clarissimo

DN. JOH. HENRICO OSTERMAN, JCo.
Causarum Patrono hilarioris famæ: Cognato atque
Fautori meo colendissimo.

*Has Studii mei Juridici primitias
submissim atque reverenter*

D. D. D.

F. E. G. MONTANUS,



CRUX JURISCONSULTORUM
ex l. 69. ff. pro soc. sublata.



Rucem, ne erres Lector, intelligimus hoc loco molestiam atque tribulationem quæ alicujus animum aut corpus male habet & cruciat. Sensu illo quo Terentianus Chærea: *& illis crucibus quæ nos nostramque adolescentiam habent despiciantur, & quæ nos semper omnibus cruciantur modis, nunc referam gratiam.* Qui locus & verbum *cruciare* eodem sensu accipi demonstrat. Quemadmodum Jupiter apud Phædrum Canum legatos jubet *fame cruciari.* Et Plautus: *Discrucior miser animi.* Idem Plautus in Mercatore: *Quo magis quid facerem cura cruciabar miser.* Et in præcedenti ibidem scena: *Apage istiusmodi salutem cum cruciatu quæ venit.* Sed & Germani superiores inferioresque vocabulum *Crucis* sensu supra dicto quotidie accipiunt: quam in rem videas elegans exordium orationis pro Concione Ecclesiastica habendæ fabricatum ab Abrahamo a S. Clara Concionatore Cæsareo Viennæ, in bello illius tractatu cui titulus: *Reim dich oder ich ließ dich. dominic. XX. post Pentecost. & gemelli lepōris sermonem Augustini Paoletti quadragesimal. Domin. 4.*



min. 4. post Epiphan. Sane quot Jurisconsultis per omne studii Theoretico-Practici tempus molestias crucesque ponat labor perpetuus, quis non animadvertit? Singula enumerare velle, esset soli facem accendere. Vel solas illas vulgo damnatas leges in testimonium nunc cito.

§. I.

HArum in numero est celebris illa *l. 69. ff. pro soc.* quæ tersissimum & summum (Bockelmanno *judice comm. ff. pro soc. §. 17.*) Romani Juris Interpretem & Vindicem, Jacobum intellige Cujacium *4. observ. 17.* diutius torfit quam ulla quidem lex alia, adeo ut nec tandem ausus fuerit dicere eam a se legem intelligi. Mirandum ut adeo non sit, si & alios hic locus cruciavit. Præfatus tamen D. Bockelman. *d. loc. inrelectum* ejusdem textus existimat se adeo planum fecisse, ut hoc epinicio explicationem dicti loci claudat: *Quod planum (inquit) videtur, ut nulla appareat difficultas, nisi hæc, quod nulla sit difficultas in re qua Viris gravissimis visa est difficillima.* Novissime etiam Nobiliss. D. van Eck. *tr. de sept. leg. damn. ff. cap. 5.* eandem legem ad mentem Excell. Bockelmanni ita illustravit, ut nihil difficultatis superesse existimes.

§. II.

Liceat tamen & nobis nostram hic contulisse symbolam, visuris an non & alium sensum lex nostra commode patiatur Viris istis Clarissimis aliisque non animadvertum aut neglectum. Ubi istud interim lubentes profite-mur, Cujacianam & Bockelmannianam illas explicationes, *ansam nobis dedisse in profundo quasi puteo* (ut alibi loquitur Nobiliss. D. Zaunschliffer. *peric. Acad. ad l. 57. ff. mandat. §. 6.*) *mersam aliisque non repertam veritatem & quærendi & quasi virgula divina inveniendi.* Ut adeo magno

Magno Cujacio & Excellentissimo Bockelmanno etiam
 evenerit, quod præcipua illi artis pictori apud Valerium
 Maximum *lib. 8. cap. 11.* qui etiam aliud agens spumas na-
 rium ab exercitatione venientis equi casu exprimebat
 quod cura & intentio negaverat. Conf. D. Zaunschliff.
d. loc.

§. III.

Principio igitur verba textus nostri in *l. 69. ff. pro soc.*
 ob oculos nobis ponamus. *Cum societas* (ait ibi Ulpia-
 nus) *ad emendum coiretur, & conveniret, ut unus reli-*
quis nundinas id est epulas præstaret, eosque à negotio
dimitteret, si eas eis non solverit, & pro socio & ex ven-
dito cum eo agendum.

§. IV.

Ita textus ad exemplar Florentinum expressus est:
 Quod cum omnium optimum & accuratissimum sit: de
 quo Ant. Augustin. *1. emendat. 1. & passim.* add. Lauter-
 bach. *ff. prolegom.* D. van Eck. *ff. de Orig. Jur. p. 11.* quin
 & Justiniani autographum censeatur, ejus jussu & ætate
 conscriptum: D. van Eck. *d. loc.* risu magis (nisi ridere
 in Academiis interdictum esset ceu ex Æliano *3. var.*
histor. notat D. Zaunschliff. *d. §. 6.*) quam refutatione
 digni sunt, qui citra ullam necessitatem textui optimo
 vim faciunt, & vel pro *epulis* legunt *empulas*, vel *nundi-*
narias epulas, vel, *per nundinas epulas*, vel, *quatridianas*
epulas, reponere satagunt: Item pro, *à negotio dimittere*,
ad negotium demittere: & vice verbi: *vendito*: *emto* sub-
 stituunt. De quibus D. Bockelman. *d. §. 17.* ubi conclu-
 dit: *Sic sine justa autoritate à lectione probata abitur &*
textus sensus genuinus corrumpitur. Et D. van Eck. *d.*
cap. 5. qui ambo nihil in textu mutant. Neque id facien-
 dum esse existimabat Schilter. *ff. exerc. 7. §. 29.* sibi quo-
 dammodo

dammodo contrarius *exerc. 29. §. 18.* Nos itidem textui suam merito integritatem relinquimus: agemusque cum illo, gemello modo ut olim juxta Livium *lib. 5. cap. 22.* (*quem locum in memoriam mihi revocavit D. Zaunschlifer. d. §. 6.*) Romani, cum jam opes humanæ egestæ Vejis essent, amoliri tum Deum dona ipsosque Deos jussere sed colentium magis quam rapientium modo: namque delecti ex omni exercitu juvenes pure lotis corporibus candida veste quibus deportanda Romam Regina Juno assignata erat, venerabundi templum inivere, primo religiose admoventes manus: deinde cum quidam seu spiritu divino tactus seu juvenili joco: *Visne Romam ire Juno?* annuisse Deam, conclamaverunt: inde fabulæ adjectum est, vocem quoque dicentis, *velle*, auditam esse. Spero fore ut & mihi, dum religiosa manu textum nostrum attingo, *annuat* ipsa Themis, Sacratissimi- que Justiniani beati manes ita *velle* se fateantur.

§. V.

Notandum igitur, textum loqui de casu quo cum coi- retur inter plures societas ad emendum, statim in conti- nenti additum fuit pactum quo unus ex cæteris se epu- las præbiturum cæterosque a negotio dimissurum rece- pit. Hoc pactum in continenti fuisse adjectum apparet ex verbis: *cum coi-retur & conveniret.* Quod si igitur re- cipiens socius epulas contra datam fidem non solvat, consequitur socios, cæteros contra socium ad id quod in- terest agere posse, idque actione pro socio. *h. l. 69. pro soc. in f.* Est quippe certissima Juris regula, Pacta in con- tinenti b. f. contractibus adjecta iisdem *inesse* eosque *formare. per text. notum in l. 7. ff. de pactis.*

§. VI.

Quilibet autem videt, socium in lege nostra promit- tentem

rentem ad duo se obstringere: 1. se nundinas id est epulas præbiturum, & 2. se cæteros a negotio dimissurum.

§. VII.

Nundinæ quid alibi atque communiter significant, notum est. v. D. van Eck. *d. c. 5.* & Schilter. *ff. 7. §. 29. seqq.* In hac autem lege, quid per nundinas intellectum velit Ulpianus, aut si mavis Justinianus, per *l. 3. §. 10. C. V. J. E.*, ipse disertis verbis explicat: *nundinas*, inquit, *id est epulas*. Ut stultum sit dubitare de significatione verbi: *nundinas*: quam scil. ipse Legislator lucide exhibet. Confer aliam Ulpiani legem in *l. 3. §. f. ff. de feriis. Schilter. d. §. 29.* Neque novum est metonomiam subiecti pro adjuncto loquendo adhiberi. Sic Virgilius dixit, *accipere noctem oculis & pectore*, id est *somnum*. & Statius: *noctem exturbare*, id est *somnum noctis*. item Terentius: *noctem habere* pro *copiam corporis per eam noctem*. Sed & hodie: *nundinas vel novum annum dare, emere*, simili ratione hisce in terrarum angulis dicere solemus, quemadmodum & Germ. *ein Jahrmarekt / eine Messe* / pro dono aut munere nundinario. Schilter. *ff. 29. §. 20.* D. Bockelm. *d. l.* D. Eck. *d. l.* In eo autem cum præfato Schiltero *ff. d. exerc. 7. & d. exerc. 29.* facere nequeo, quod in lege nostra *publicas* epulas intelligit. Scio, habuerunt Romani suas epulas publicas, hæque suos Epulorum Septemviros atque Triumviros: ut vel ex Rosino *4. antiq. Romanar.* notum est, & illustrat Schilter. *d. loc.* latius: Sed textum nostrum de *privatis* potius acceperim: per verba textus: *reliquis. eis.* Unde recte ad mentem nostram Glossa epulas *comestionem* explicat: *Gloss. ad d. l. 69.*

§. VIII.

Alterum adjecti pacti (*jung. §. 6. supra.*) membrum est, quod

quod socios reliquos a negotio dimittat. Quæ verba ut intelligantur, sciendum quid negotii tractaverint socii sive cuius negotii gratia socii coierint. Et textus ait, *ad emendum* eos coivisse. Ergo negotium eorum fuit, *emere*. Quod negotium solus ille unus socius in se suscepit, cæterosque ab hac emendi molestia *dimisit* id est *liberavit*. Ita & alibi hoc *dimittendi* verbum accipitur: quam in rem vide textus apud D. van Eck. *d. cap. 5. §. altera intellectu*. Pactum ergo est tale, ut reliqui socii pecuniam conferant, hic unus autem operam & epulas.

§. IX.

Illud etiam notari meretur, in nostra lege, pactum de *epulis præstandis* præcedere: alterum, de *dimittendis reliquis a negotio*, sequi. Unde, in casu nostræ legis, socius ille unus prius debuit incipere epulas præstare, & *tum a negotio* reliquos dimittere.

§. X.

Unde consequitur, si socius ille epulas promissas non *solverit* id est *præstiterit*. *d. l. 69. ibi: præstaret. solverit. jung. l. 49. solut.* & tamen negotium solus perfecerit, id est hoc casu, *emerit*. §. 8. *supra.* venditorem cum hoc socio ex vendito *agere posse. d. l. 69. in f.* utpote qui ab ipso emit.

§. XI.

Sed & cum hoc solo *agere debere*: non cum reliquis sociis. Quod innui videtur verbis: *cum eo*: Sed & suadet per collationem actionis pro socio, quæ hoc casu contra solum illum unum socium datur: Confirmatur denique per analogiam juris. Etsi enim socius contrahens socios alios pro parte quam in societate habent obligare valeat, secundum DD. communem sententiam apud Struv. *ff. pro soc. th. 44. & arg. l. 24. ff. pro soc. §. 1. & 3. l. de societ. l. 19.*

l. 10. ff. de R. J. quin & hoc casu, quo quasi institor cœterorum factus est, cœteros in solidum obligare, videri possit: per *l. 4. §. 1. ff. de exerc. act. add. l. 1. §. f. l. 2. l. 3. l. 4. pr. eod. l. 13. inf. de instit. act. l. 27. l. 82. ff. pro soc.* quibus alias textibus alii Juri moventur ut regulariter socios ex contractu socii in solidum teneri statuunt, in quorum numero sunt Viri Consultissimi, Carpzov. 2. 17. *defin. 12.* Lauterbach. *comp. jur. civ. ad ff. tit. pro soc. lit. L.* & ibi allegati. Bockelm. *ff. pro soc. §. 16.* (ubi tamen testatur, secundum communem, supra visam, sententiam crebrius judicari) Van Eck. *ff. pro soc. p. 346.* Quoniam tamen hic socius legem dictam non observavit, & non solutis, ceu promiserat, epulis ad emtionem præpostere convolavit, hoc casu plane socii non obligantur. *v. l. 5. §. 11. & l. 11. §. 5. ff. de instit. action. Christin. 3. decis. 52. n. 3.* Lauterbach. *d. loc. add. Struv. d. th. 44. pr.* Ratio est, quia pactum additum societati formam addidit (*v. §. 5. jung. D. Noodt. 1. de jurisdict. c. 2.*) qua sprete, & ipsa societas extra considerationem posita videtur. Ratio alia est, quod talis venditor cum socio illo contrahens debuerit in conditionem hujus socii & societatis inquisivisse *l. 19. pr. ff. de R. J.* quod si non fecit, locus fit regulæ *in l. 203. ff. eod.*

§. XII.

Fingamus nunc casum Legis. Titius, Sejus & Mævius, tres bibliopolæ Belgæ, societatem librorum emendatorum contracturi, Sempronium bibliopolam civemque Lipsiensem in societatem hac lege adsumunt, ut cum ipsi quotannis ad nundinas Lipsienses coëmendorum librorum gratia proficisci in animo habeant, diversoriis autem publicis tum ut parcatur sumtibus tum alias ob causas immorari graventur, Sempronius ipsis epulas, tectum aut tamen culinam, præbeat: Sed & cum Lipsiensium linguæ

B

gnari

gnari non sint, nec singulos ibidem bibliopolas ita norint ut sciant apud quos viliori pretio libri emi possint, adjiciunt & alterum pactum, ut Sempronius cæteros tres Titium, Sejum, Mæviumque ab hoc negotio & molestia emendi dimittat, solusque in omnium usus libros cõemat: ipsi tres Belgæ econtra pecuniam vel totam conferent vel plus saltem Sempronio. Placet omnibus societatis lex. Postea in ipsis Lipsiensibus nundinis advolant Lipsiam tres illi Belgæ. Epulas petunt a Sempronio. Sempronius renuit eas solvere. Belgæ magnis cum incommoditatibus diversorium publicum intrant. Interim Sempronius tamen a Cornelio quodam libros emitat. Ecce hoc casu, tres illi Belgæ contra Sempronium ad interesse actione pro socio agent: Cornelius eundem Sempronium actione venditi pulsabit.

§. XIII.

Ex dictis itidem patet, praxin nostræ legis ad mores nostros conformari etiam posse: quod & vidit etsi alio sensu Schilter. ff. 29. §. 26. Illud tamen usum vix habet, quod de nominibus actionum disputatur, quæ libellis non inferuntur. vid. Lauterbach. compend. ff. de edend. in A. a. Schilter. d. loc. Cyprian. Regner. ibid.

§. XIV.

Et hætenus quidem sententiam nostram exhibuimus. Si quis tamen explicationi a nobis propositæ subscribere nolit, is ex sequentibus eligat sibi aliam. In primis D. Bockelman, strenuus JurisConsultus, a negotio epulas præstandi dimissos esse reliquos socios, hosque solos emisse, in casu nostræ legis, existimat: qua in parte consentit & Glossa ad d. l. 69. actionem autem ex vendito venditoribus illis qui merces sociis illis a negotio epulas præstandi ad emendum dimissis vendiderunt largitur, &
 contra

contra socios qui ipsi emerunt & contra unum illum socium qui epulas sponderat, nec emtioni se immediate immiscuerat, cum socius socium obligare possit si in arcam communem pecunia versa & expresse in causam societatis creditum sit, aut alter alterius quasi institor sit. *v. §. ii. supra.* Et ita legem nostram etiam accipit, qui ex D. Bockelmanni disciplina commodo reip. literatiæ feliciter prodiit Cl. Van Eckius *d. cap. 5.* Cujacius similiter actionem ex vendito non dat sociis, sed iis qui sociis merces vendiderunt, uti contra cæteros socios ita & contra unum illum qui epulas promiserat cæterosque ad emendum dimiserat, idque *arg. l. 13. §. 25. ff. de act. emt.* Aliter Cl. D. Voet. *ff. pro soc. n. 6.* actionem ex vendito dat epularum venditori non-socio, qui illi uni sociorum epulas vendiderat. Contra alii ipsis reliquis illis sociis actionem ex vendito contra unum illum concedunt. In his Glossa *ad d. l. 69.* casum talem fingit: *Convenit inter socios ut unus pro xx. solidis epulas cæteris pararet. Solutis nummis vel alias satisfacto, possunt agere pro socio & ex emto.* Ergo Glossa unum istum socium fingit venditorem epularum: *add. §. 4. l. locat.* reliquis sociis, ut epularum emtoribus, actionem ex emto concedit, quæ in textu nostro vocetur actio ex vendito *per l. 19. ff. act. emt. vend.* Et ita intelligi potest Cypr. Regner. *cons. ff. ad d. l. 69.* Aliter adhuc A. Faber actionem ex vendito ipsis sociis tribuit: utpote qui partem emtarum mercium ipsi quoque uni socio epulas promittenti tribuendo, eandem ipsi quasi vendunt pro pretio epularum.

§. XV.

Certe præstat ex hisce sententiis unam eligere, quam textum corrumpere id est corrigere. *Vid. supra §. 4.* Interim duæ priores §. 14. adductæ explicationes pugnant cum obser-

observatione nostra adducta *supr.* §. II. Tertia (pace Nobiliss. D. Voetii dixerim) a textu videtur alienior, utpote quæ ipsum socium epulas sociis præstare & solvere debere vult. Quartæ fundamentum post alios subduxit Vinnius noster *pr. I. de Emt. vendit. num. 2.* Quintam video parum conciliari posse cum juris fundamento in §. 2. I. *eod.* Cætera, quæ me ab His abstrahunt, nunc prætereo.

COROLLARIA JUSTINIANEA.

- I. **A** Bigens ventrem sive postumum in utero, secundum Jus Justinianum gladio puniendus est: nisi ipsi parentes abigant, tunc enim culei pœnam locum habere certum est. Neque distinguendum est hic inter partum sive ventrem animatum atque inanimatum.
- II. Actio rerum amotarum non datur in heredem, nisi quatenus ad eum pervenit. Uti novissime more solito id est solide demonstrat D. Coccejus dissertat. Jur. de oblig. hered. ex delict. defunct. sect. 3. num. 20. *etsi responsionem a Viro Excellentissimo ibidem ad l. 6. §. 4. l. 21. §. pen. l. 26. ff. rer. amotar. datam, meam facere nonolim.* Nullam enim hac in parte differentiam inter conditionem furtivam & actionem rerum amotarum agnosco, cum hæc nihil aliud sit quam conditio furtiva paliata & verba in factum temperans, ut alibi loquitur J.C. in l. II. in fin. ff. de dol. mal.
- III. Quando causa facta exheredationis justa atque probabilis testamento parentum inserta non est, liberi istud ipso jure nullum pronuntiare possunt, secundum Novell. II. cap. 3.
- IV. Eo tamen nil quicquam obstante intrepide concludo, ventri sive partui in utero matris adhuc existenti *Quærelans*

- relam inofficiosi testamenti etiam adhuc hodie competere.*
- V. *Vocem rerum in l. 23. C. de probat. explicolitium sive processuum. Quemadmodum etiam explicol Rubr. ff. de Re judicata. adde l. 5. ff. de V. O.*
- VI. *Lex I. C. de Precar. loquitur de Petitorio, ubi quis jus scil. integrum persequitur.*
- VII. *In legatis ad pias causas indistincte cessat Falcidia.*
- VIII. *Legitima etiam hodie titulo singulari relinqui potest.*
- IX. *Fratrum filii soli existentes succedunt defuncto communi thio in stirpes sive jure representationis.*
- X. *Liberi propter neglectum patris matrisve consensum exheredari nequeunt.*
- XI. *Etsi textus ff. textibus Institutionum cedere debeant, haec tamen proprie istis non derogant per l. 102. ff. de V. S.*
- XII. *Emphyteusis est contractus bonae fidei: Imo stricti juris. Prout vis. Exercitii causa disputo quodcunque lubet: ait Cyprian. Regner. disput. ad ff. 37. th. 6. Caeterum priora undecim Corollaria serio defendam, ut & seqq.*
- XIII. *Negotiorum gestor regulariter ad culpam tenetur levissimam. Vid. accuratius quam vulgo Vinn. nost. comment. ad §. I. I. de obligat. ex quasi contract. num. 3. Dissentit Lauterbach. ff. de negot. gest.*
- XIV. *Dantur actiones quae ratione rei conventi modo mixtae sunt modo mere pœnales. vid. D. Coccej. not. (aut quae sub Ejus saltem nomine circumferuntur) ad Struv. ff. de tign. junct. th. 30. Dissentit D. Struv. ff. exerc. 41. th. 46.*
- XV. *Donatio omnium bonorum non subsistit.*
- XVI. *Beatam Salvatoris nostri Matrem Virginem Mariam majori quam quidem ulla virgo afficitur honore imperimus, quin & si quis impia ex putido blasphemiae faucis barathro Eam convitando convitia eructaverit, talem nequam*

nequam Mariamastiga pœna capitali subjugamus.

XVII. *Quasi-Contractuum duo genera sunt: Quidam enim constant consensu ficto aut presunto: Quidam autem consensu vero atque expreso.*

XVIII. *Jurisdictionem agnosco Criminalcm. Vid. novissime Nobiliff. D. Noodt. 1. de Jurisdic. cap. 1. & 2. ubi singularis intellectus l. 3. ff. de jurisd. aliis non animadversus.*

XIX. *Cum actiones dividuntur in bona fidei & stricti juris, eis tertia con-species Arbitrariarum male additur.*

XX. *Tutor ob latam culpam remotus, famosus non est.*

F I N I S.

Eylfertiges Glückwünschungs = Gedicht /
Dem

Herren **R E S P O N D E N T E N**
zu Ehren gesetzt.

W Er da mit Fleisse zubringet die Zeit /
Sizet und Lieset der Klugesten Lehren /
Wann wol viel andre die Murzien Ehren;
Schmücket und Zieret sich mit Belährtheit /
Da wohl viel andre in Wonne und Freud
Unter dem Seigen und Lüstigem Singen /
Sauffen und mannichen Thaler verbringen /
Der weiß im Rechte so artig Bescheid.
Wie ihr / Hoch-wehrter Freund / völlig iht zeigtet /
Da ihr mit Lust den Catheder auffsteiget;
Warlich ein jeder rühmt Eueren Fleiß /
Themis verheißt bald die würdige Krone /
Euch / Herz MONTAN, zum verdienetem Lohne:
Wir / Werther Freund / wünschen viel Glücks zum Preis.

Dieses hat ihrem Herren Commilitoni machen lassen /
des (Tit. Tit.) Herren Doctoris und
Professoris Pagenstechers

Sämpliche Tischgesellschaft.

Was Pagenstechers Kunst / an dir mein Freund verrichtet /
 Daß zeigt deine Prob' gelehrter Wissenschaft!
 Da Er mit großem Ruhm / den grossen Wort-Streit schlichtet /
 Wobey so manches Haupt verlohren seine Krafft;
 Worüber mancher schier die Nägell abgebissen /
 Und Ulpianum hat vor ganz absurd erkläret:
 Worüber mancher sich in stücken schier zerrissen /
 Desselbigen Geseß Verstand / wird uns gelehrt
 Von Dir / durch diesen Mann / den man da schon sieh't schweben /
 Wo Phoebus hält den lauff / und wo der Sternen Heer!
 Den man wird Ewig seh'n durch seine Schrifften leben /
 Und dessen Nahmens Lob wird sterben nimmermehr;
 Was dieses Lehrers Wis / was Seine hohe Gaben /
 Dir Herr Montanus in so kurzer Zeit gebracht /
 Hierüber jedermann Verwunderung muß haben /
 Wer die zwey Jahre nur / und diese Schrift betracht /
 Mit der Du dich recht darffst auff der Catheder wagen /
 Da wo den Kampfplatz sucht ein wackerer Student;
 Wo man von großem Streit / ohn' Wunden weiß zu sagen /
 Wo man zeig't Seine Frucht / und des Studierens end.
 Dein Vaterland kan sich von Dir nun Hoffnung machen /
 In kurzer Zeit es Dich recht rühmlich brauchen kan.
 Wie muß den Eltern nicht das Herz im Leibe lachen /
 In dem in ihrem Sohn nun blüh't ein wack'rer Mann.
 Montanus Du bist jetzt bald auff des Berges Spizen /
 Wo für die Arbeit Uns gereicht wird der Lohn:
 Daß wir so manche Nacht bey'm Corpus - Juris sitzen /
 Dafür schenckt Themis uns die Edle Doctor-Krohn.
 Fahr' fort in Deinem Fleiß / ich rühme dein Beginnen /
 Und werff' von Herzen Dir viel tausend Wünsche bey;
 Der Himmel wolle dan sein' Gnad' Dir weiter gönnen /
 All' was Du fängest an / dasselb' gesegnet sey.

Eilfertig doch Wohlmeinend wolte dieses dem Herren
 MONTANO Glückwünschend hinzu setzen

CLEMENS BERG. LL. C. Montanus.

A Nnos Juridico præscripsit quinque labori *a.*
 UPRAUDA. *b.* Ast aliud postera sæcla volunt.
 IMPERII taceo LEGEM. *c.* Id MONTANE doces, post
 Annos qui præbes hæc documenta duos.

a. Vid. Exc. D. Holterman. *ad Proam. Inst. th. 11.*

b. Istud JUSTINIANI nomen est genuinum: Justiniani adoptivum. vid. Exc.
 D. Pagenstecher. 1 *aphor. Justinian. 1. editionis tertia.*

c. Vid. *Rec. Imper. de anno 1654. §. 28. & Exc. D. Feltman. spicil. ad Instit. disp. 2. th. 7. in fin.*

*Amicissimo MONTANO meo, Furium (quibus
 duos saltem fere annos insumserat)*

Cultori feliciter strenuo

L. M. Q.

applaudit

MATTHIAS HOBBELT.

Vesalius: LL. Stud.

S O N N E T T.

Sück zu / mein wehrter Freund / so steigst Du zu den Zinnen
 Da unsre Themis wohnt. Zwey Jahren hast Du schon
 Und noch ein Viertel-Jahr beynah / O Themis-Sohn!
 Die Rechten nun Studirt. O tapffre / tapffre Sinnen!
 Wann man zum End sich schickt / da man erst tuht beginnen!
 O Fleiß! O Embsigkeit! Was hast du dan zum Lohn?
 Ey was ist das gefragt? Die theure Doctors-Krohn.
 Setz noch zwey Jahr hinzu: Du wirst Sie schon gewinnen!
 Wan du Sie dan verlangst. Herz Pagenstecher hat
 Sie dir schon zugedacht / Sie liegt dan zubereitet
 Wan nur dein Tugendt-Fleiß zu weitren Stafflen schreitet.
 Ich zweiffle nicht darahn: Es hat dein Kluger Rhat
 Dir sonst nichts vorgestellt. Ein dienst kan dir nicht fehlen!
 Man wirdt dir dan dabey ein süsse Nymph zuzehlen.

*Dieses wündschst dem Herrn Respondenti seinem
 Herzens-Freunde*

JOHANN: FLOCKEN, LL. Stück

Duisburg, Diss., 1661-33

(1)

ULB Halle


3

004 527 046



Sb

107



B.I.G.

Farbkarte #13

J. C.

1692, 4

295.

21

X

LTORUM

Societas

DIO

ssimi

TECHERI,

is Ordin.

rio Majori a. d. 12.
removenda per

MONTANUM:
Ant. & Resp.



HENVUM,
Academ. Typogr.
CII.

